

merale aduerbium: dummodo regatur a verbo a parte post: supponit confuse tantum: vt bis cantauit missam: ter bibi aqua: triplex est materia propositionum: vbi, missa, aqua, & materia, confuse tantum supponunt.

Sexta regula: quando paria signa distributiva feruntur super eundem terminum communem, quorum quodlibet ipsum distribueret, alio remoto, talis terminus communis supponit confuse tantum, vel determinate. Dixi notanter: paria signa: nam si sint imparia: tunc distributiva supponit, vt animal in ista, nonnullus homo non est animal.

Nota.

Notanda tamē tripliciter posse cōtingere suppositionem confusam: vel ex parte significationis tantum: vel ex parte signi tantum: vel ex parte signi, & significationis simul. Ex parte significationis tantum, vt in hac: equus requiritur ad equitandam: vbi equus; licet determinatē, ex parte signi, significet: quia nullo signo afficitur: ex parte tamen significationis confuse supponit: quia non accipitur ibi pro aliquo equo in particulari: sed pro omnibus in confuso, & sub disunctione. Suppositio ex parte signi tantum: vt in hac propositio: ne: omnis homo est ipsemet: vbi illud relatiuum, ipsemet, supponit confuse ex parte signi: quia afficitur mediate signo vniuersali affirmatiuo: licet ex parte significationis supponat distributivē: sicut suum antecedens, homo. Suppositio ex parte signi, & significationis simul, vt animal in ista: omnis homo est animal: de qua iam diximus.

CAPVT IX.

De relatiuorum suppositione.

Nota.

PRO huius capituli intelligentia est aduertenda; duplex esse relatiuum: Logicale; & Grammaticale: primum est; vt pater, qui refertur ad filium: de quo in predicamentis. Secundum sic a Grammaticis diffinitur: Relatiuum est, quod refert antecedens: id est: rei antelate recordatiuum: verbi gratia, homo currit, qui mouetur: ly, qui, est recordatiuum hominis. Quod quidem relatiuum dupliciter sumi potest: primum, vel secundum intentionem: primo modo est terminus vocalis, mentalis, & scriptus, notificans secundario rem prius per antecedens notificatam: vt ex tradita diffinitione constat: secundo modo est respectus rationis, qui attribuitur termino mentali, vocali, & scripto secundario notificanti rem prius per suum antecedens notificatam: & de istis relatiuis quærimus; quomodo supponant.

Nota.

Secundo est aduertendum: quod talia relatiua in propositione aliquando sunt pure syncategoremata limitantia terminum, supra quem cadunt, ad standum relatiuē: & tunc dicuntur referentia tantum: illisque in mente solum correspondet actus referendi; quod accidit; quando simul cum suis relatis ponuntur: vt Sortes currit; & ille Sortes disputat: aliquando verò sunt categoremata, & syncategoremata simul; & tunc simul dicuntur referens, & relatum: illisque in mente corres-

pondet aggregatum ex conceptu rei, & ex actu referendi: nam relatiuum excitat intellectum ad formandum conceptum antecedentis: & hoc fit; quando in propositione ponuntur per se, sine suis relatis: vt Sortes currit: & ille disputat. Et de his agimus in præsentia.

Tertio notandum: relatiuorum quædam esse substantia; & quædam accidentis. Relatiuum substantia; apud Logicum, est, quod, in referendo suū antecedens non cōnotat aliquod accidens adiacere rei, quam refert: vt suus; sui; ille; ipse; is; idem; &c.

Relatiuum accidentis est, quod in referendo suum antecedens, connotat aliquod accidens adiacere rei, quam refert: vt sunt; talis; qualis; tantus; quantus; &c. Exemplum: Petrus est albus; & talis est Plato: ly, talis refert Petrum; & connotat albedinem inherere illi, & Platoni, qui ei comparatur.

Relatiuum substantia; est duplex: aliud identitatis, quod refert suam antecedens, præcise pro illo, pro quo accipitur: vt idem; quis; qui; ipse; verbi gratia, Petrus currit, qui mouetur: ly, qui supponit pro Petro. Aliud est relatiuum diuersitatis: vt alius; aliter; reliquus; cætera, cæterum: & est, quod refert aliam rem ab ea, quam suum antecedens importat: vt Sortes currit: & alius disputat: ly, alius, aliam rem, quam Sortes importat.

Rursus: relatiuum identitatis aliud est reciprocum aliud non reciprocum: reciprocum est, quod denotat, actum importatum per verbum transitive immediate in rem, pro qua accipitur suum antecedens: & talia sunt in duplici differentia: alia primitiua; speciei; vt, ipsemet; & se: alia derivatiua; vt suus, a, um: exemplum: Petrus diligit se: ly, se, denotat, actum amoris inesse Petro: & semper tale relatiuum ponitur in eadem categorica cum antecedente.

Relatiuum non reciprocum denotat, actum importatum per verbum non transitive immediate in suum antecedens; nec cum eo in eadem categorica ponitur: vt Sortes currit: & ille mouetur: & hæc aliquando sumuntur demonstratiua: vt ille Sortes disputat: aliquando relatiuē: vt Sortes disputat; & ille loquitur: aliquando indiffinitē: vt, qui fuerit audax; expugnet & castra, & per hoc vltimum soluuntur argumenta Magistri Soto asserentis, relatiuum in propositione habere significationem independentem ab antecedente: quod verum est, quando tantum indiffinitē sumitur.

His prænotatis, statuuntur regulæ pro relatiuorum suppositione: prima regula; relatiuum substantia; identitatis habens pro antecedente terminum singulariter tenentem supponit discretè, & singulariter: vt Sortes currit; & ille mouetur: ly, ille singulariter supponit.

Secunda regula: relatiuum substantia; identitatis reciprocum primitiua; speciei supponit, sicut suum antecedens: vt homo videt se: ly, se supponit determinate: sicut & homo; & omnis sapiens est ipsemet: ly, ipsemet supponit distributivē, sicut, & suum antecedens, omnis sapiens.

Tertia regula: relatiuum substantia; identitatis non reciproci supponens communiter supponit eodem

3. Nota. Relatiuum substantia.

Relatiuum accidentis.

Relatiuum identitatis.

Relatiuum diuersitatis.

Relatiuum reciproci.

Relatiuum non reciproci.

eodem modo, quo supponit terminus absolutus communiter tentus in tali loco positus: vt, homo currit; vel ipse mouetur: ly, ipse supponit personam liter, & determinate: nam si loco illius poneretur suum antecedens: nempe homo: determinate supponeret: & idem dicitur: si illi addatur aliquod signum: nam eius suppositio, iuxta signorum variationem, variatur: vt homo currit: & omnis ille mouetur: ly, ille distributivē supponit.

Quarta regula, relatiuum substantia; identitatis non reciproci in propositione hypothetica copulatiua supponit præcise pro illo, de quo suū antecedens verificatur, vt in ista: homo est albus; & ille disputat: est sensus: ille homo, qui est albus, disputat: ita quod ly, ille personaliter supponit. In propositione autem hypothetica disiunctiua non solum supponit pro illo, de quo verificatur propositio sui antecedentis: sed pro omni illo, pro quo supponit suum antecedens: hæc namque communiter cōceditur: Sortes currit; vel ipse quiescit; in qua, si illud relatiuum, ipse, supponeret præcise, pro quo propositio sui antecedentis verificatur: illa esset falsa: supposito, quod Sortes non currit; quia esset vna disiunctiua, cuius vtraque pars esset falsa: nempe Sortes currit; vel ipse Sortes, qui currit; quiescit. In propositione denique hypothetica conditionali non oportet: quod præcise supponat pro illo, pro quo verificatur propositio, in qua ponitur suum antecedens: quia ista communiter negatur: Deus non est; si ipse est omnipotens: & tamen; si ly ipse supponeret præcise pro Deo: esset vera: cum eius sensus sit: Deus non est; si ipse Deus, qui non est: est omnipotens: qui sensus est verus: cum sit bona consequentia: quia antecedens est propositio impossibilis: & conditionalis, cuius antecedens est impossibile, est vera.

Quinta regula: relatiuum derivatiua; speciei vt suus; a, um: vel ponitur in propositione cum termino significante rem possessam; vel sine illo: si cum illo; hoc est dupliciter: quia vel ponitur in eadem categorica: & tunc supponit sicut suum antecedens; scilicet pro possessore: vt Sortes equitat suū equum: ly, suū; supponit pro Sorte. Si autem ponitur in alia categorica: tunc supponit; sicut terminus communis loco eius positus: vt homo currit; & suus equus patet: ly, suus; supponit determinate pro possessore. Si verò ponatur sine termino significante rem possessam, & in eadem propositione; supponit pro re possessa confuse tantum: vt omnis homo habet suum: ly, suum, confuse tantum supponit.

Sexta regula, relatiuum substantia; diuersitatis nunquam supponit pro illo, pro quo supponit suū antecedens: vt Sortes currit; & reliquus disputat: ly, reliquus non supponit pro Sorte.

Nota.

Nota tamen, quod hoc relatiuum sequitur naturam termini communis: & variatur eius suppositio secundum aliam, & aliam variationem signi: vt homo currit; & alius disputat: ly, alius supponit determinate: Sortes currit; & alius disputat: ly, alius discretè supponit; &c.

Nota.

Nota etiam, quod si antecedens non supponit: nec istud relatiuum supponit: vt Antichristus currit; & aliud scribit: ly, alius pro nullo supponit: quia Antichristus non supponit, Similiter si ante-

cedens supponit pro omni ente: etiam non supponit hoc relatiuum, vt omne ens est: & aliud currit; ly, aliud non supponit: quia nullum ens est aliud ab omni ente mundi.

CAPVT X.

De ampliacione, statu, & restrictione.

INTER alias terminorum proprietates non parui momenti sunt ampliatio, & restrictio, quæ statui, tanquam extrema, a medio, opponuntur. Vnde status termini est acceptio termini in propositione pro ea differentia temporis tantum, quæ per copulam principalem importatur: vt homo est: homo fuit: homo erit: ly, homo stat pro vna differentia temporis tantum.

Status quid sit.

Ampliatio, de qua agit Doctor in lib. 1. Priorum quæst. 16. est acceptio termini in propositione pro alia temporis differentia ab ea, quæ per copulam principalem importatur: vt in ista, Adam fuit: ly, Adam, accipitur pro illo, qui est; vel fuit.

Ampliatio.

Pro quo est aduertendum primo, quod Logice loquendo, quinque sunt differentie temporis, ad quas terminus ampliari potest, scilicet, præsens; præteritum; futurum; possibile; & imaginabile: secundum quas, quatuor sunt tantum modi ampliandi terminum per ipsas.

Primum, quando terminus accipitur ad duas temporis differentias sub disunctione: nempe, vel ad præsens, & futurum: vel ad præsens, & præteritum: vel ad præteritum, & futurum: vt, homo est, vel erit; homo est, vel fuit; homo fuit, vel erit.

Secundus modus, quando terminus accipitur ad tres differentias temporis; præsentis; præteriti; & futuri: etiam sub disunctione: vt homo est, vel fuit; vel erit.

Tertius quando accipitur terminus in ordine ad quatuor differentias temporis, scilicet ad præsens; præteritum; futurum; & possibile: qui modus contingit in propositionibus, in quibus reperitur verbum potest, & nomina verbalia finita in bile; vt homo potest esse: homo est generabilis: vbi ly, homo accipitur pro homine, qui fuit, est, erit; & potest esse.

Quartus tandem modus est; quando terminus accipitur in ordine ad quinque differentias temporis relatas: vt patet in ista: chimera imaginario est ens: ly, chimera ad quinque temporis differentias ampliatur.

Secundo est aduertendum: quod ampliatio est duplex: vna ampliatio temporum tantum: alia temporum & supposita simul. Ampliatio temporum tantum est acceptio termini ad plures differentias temporis, supposito immobili, in suo statu, remanente: nam suppositum semper pro vno, & eodem supponitur in ista: Franciscus fuit Philosophus: ly, Franciscus ampliatur ad tempus præsens; vel præteritum; & supponit pro eodem Francisco, qui nunc, vel antea extitit: & talis ampliatio conuenit tantum terminis singularibus, qui per diuersa supposita ampliari non possunt. Ampliatio temporum, & suppositorum simul est acceptio, siue extensio termini ad plura supposita, & ad plura tempora, quæ tantum terminis communibus competit; qui; cum significat plura; possunt ad omnia ampliari: vt in hac

2. Nota.

Tertio notandum.

hac propositione: fulgebunt iusti; sicut sol: iusti accipiuntur pro iustis presentibus, & futuris. Tertio notandum: quod termini, qui ampliantur, semper debent sumi cum disunctione, vel sic dicendo: Petrus est, vel fuit; nam si diceretur: Petrus est, & fuit: tunc potius Petrus restringeretur, quam ampliaretur: quia ly, &, facit stare terminum pro exigentia copulæ: in his tamen ampliationibus accuratissime attendi debet modus accipiendi: nam tota illarum vis ab intellectu dependet.

Pro ampliatione sunt sequentes regulæ observandæ. Prima: verba præteriti temporis, & sua participia: quando in recto, sive in nominatiivo ponuntur: ampliant terminos ante se positos ad illud, quod est, vel fuit: & sequentes faciunt stare pro illo, quod fuit; ut Petrus audiuit lectionem: ly, Petrus accipitur pro eo, qui est, vel fuit: lectione vero stat pro lectione, quæ fuit. Verba autem futuri temporis, & sua participia etiam in recto sumpta, ampliant terminos ante se positos ad id, quod est: vel erit: sequentes vero ad id, quod erit: ut Anichristus erit: Petrus ædificabit domum: sensus est: Petrus, qui est; vel erit; ædificabit domum, quæ erit.

Secunda regula: nomina verbalia terminata in bile, vel in, tium, vt generabile; corruptivum, appetivum; & verbum, potest; & adverbia illud imitantia: vt possibiliter; impossibilitate; ampliant terminos ante se positos ad quatuor primas differentias temporis: vt in tertio modo diximus: & hæc spectant omnes propositiones in materia naturali: vt homo est animal.

Tertia regula: hæc dicitio, prius, ampliat terminum ante se positum ad id, quod est; vel fuit: & terminum post se positum ad id, quod est; vel erit: vt Adæ est prius Anichristo: id est; Adam, qui est; vel fuit; est prius Anichristo; qui est; vel erit: è contra vero contingit in hac dictione, posterius: vt Anichristus, qui est; vel erit; est posterior Adamo, qui est; vel fuit.

Quarta regula: verba, quæ dicunt actum animæ interioris, ampliant terminum, supra quem cadunt, ad omnes differentias temporis: vt Alexander desiderabat orbem: ly, orbis, ampliat ad quinque temporis differentias. Verum est tamen nonnulla esse verba talia, quæ rem significant in differentia temporis determinata: qualia sunt: reprobo; & prædestino, quæ non extenduntur ad possibile, & imaginabile.

Quinta regula: verba, quæ generationem, aut inceptionem significant de præsentibus, ampliant subiectum ad præsens, & futurum: vt pluvia incipit esse: quæ, scilicet, est; vel erit: Si de præterito, ampliant illud ad præsens, & præteritum: vt homo fuit genitrus: qui, scilicet, est; vel fuit. Si denique de futuro, subiectum in statu relinquunt: vt homo generabitur: qui, scilicet, erit. Verba autem, quæ corruptionem significant, aut desitionem de præsentibus, ampliant terminum, cui suum significatum applicant, ad præsens, vel præteritum: vt comburo domum; quæ, scilicet, est; vel fuit. Si de præterito; illud in statu relinquunt: vt domus desuit esse: quæ scilicet fuit. Si tandem de futuro; illum ampliant ad præsens, & futurum: vt domus desinet esse: quæ, scilicet, est; vel erit.

Modus arguendi, qui ex ampliatione colligitur, quatuor brevissimis præceptis explicatur: primum est: à termino non ampliato ad ampliatum affirmati-

tive valet consequentia: valet enim: homo currit ergo potest currere.

Secundum à termino non ampliato ad ampliatum negatiue non valet consequentia: v. g. Petrus non currit: ergo non cucurrit: vel nõ potest currere, non valet.

Tertium à termino ampliato ad non ampliatum negatiue valet consequentia: v. g. homo nõ potest currere: ergo nõn currit: nec cucurrit: tenet.

Quartum, à termino ampliato ad nõ ampliatum affirmatiue non tenet consequentia: v. g. Petrus potest currere: ergo currit: vel cucurrit: nõ sequitur.

Restrictio, quæ ampliationi opponitur in ordine ad statum termini, est acceptio termini in propositione pro paucioribus significatis, vel paucioribus differentiis temporum; quam acciperetur: si non restringeretur: vt homo albus currit; ly, homo tantum accipitur pro hominibus albis: & lex modo dis contingere potest.

Primo, quando post subiectum, vel prædicatum, sequitur relatiuum, qui, quæ, quod; & solet appellari copula implicationis; vt homo, qui currit, mo uetur: ly, homo, tantum stat pro homine currente.

Secundo, restringitur terminus per additionem substantiu, vel adiectiu, in eodem extremo: vt in his: homo albus currit: Philosophus Aristoteles disputat: Notanter dixi in eodem extremo: nam si dicatur: homo est iustus: ly, homo non restringitur.

Tertio, restringitur terminus per additionem casus obliqui in eodem extremo: vt equus. Petri currit: ly, equus tantum pro equo Petri supponit.

Quarto restringitur per additionem termini inferioris, vel minus comunis: vt in hac: animal homo est rationale: vbi ly, animal restringitur: vt solum pro animali, quod est homo; accipitur.

Quinto, quando aduerbia modificantia restringunt extremam, supra quod cadunt: vt Petrus currit velociter: ly, velociter restringit verbum currit.

Sexto, tandem: quando copulæ ampliationis assignatæ ponuntur cū cōiunctione copulatiua, &, vt Petrus est; & fuit; & erit: vbi Petrus stat pro vna tantum temporis differentia.

CAPVT XI.

De appellatione, & diminutione.

Terminorum proprietates, quæ posteriori rem locum occupant, sunt appellatio, & diminutio. Appellatio est acceptio, applicatio, siue accommodatio significati formalis vnius termini ad significatum alterius: vt in hac: Petrus est bonus: ly, bonus, applicat Petro suum significatum formale; nempe bonitatem. Dicitur applicatio, seu acceptio applicatiua: quia appellatio nequit esse, nisi inter duos terminos: nihil enim sibi ipsi dicitur applicati, sed alteri. Unde terminus applicans suum significatum alteri dicitur appellans: terminus autem, cui applicatur, dicitur appellatus. Dicitur quoque applicatio significati formalis: quia terminus appellans debet esse connotatiuus; qui duplex habet significatum: materiale, & formale: alioquin non appellaret: applicat autem illud in concreto; quia

Restrictio.

Appellatio materialis.

Appellatio formalis.

Regula pro appellatione.

quia in abstracto nequit prædicari: terminus vero appellatus poterit esse, vel absolutus, vel connotatiuus: semper tamen se habet per modum substantiu respectu denominantis, cuius appellationem sustentat: vt in ista, album currit.

Appellatio est duplex: vna materialis: alia formalis: materialis est, in qua terminus appellans applicat suum significatum formale supra significatum materiale appellati: vt in ista: album currit: ly, currit appellat supra significatum materiale album: cursum enim nõ dicitur de albedine: sed de subiecto, cui inest albedo.

Appellatio formalis est, in qua terminus appellans applicat suum significatum formale supra significatum formale appellati: vt in hac: Petrus est Logicus magnus: ly, magnus, applicat magnitudinem in concreto significato formali illius termini, Logici: sicut ita vt sit sensus: quod sit magnus in Logica: & hæc applicatio formalis est duplex: realis, & ratio nis: realis est: quando illud, quod applicatur, est accidens reale: vt in exemplo prædicto patet. Appellatio formalis rationis est: quando illud, quod applicatur, est accidens rationis: & huiusmodi sunt omnes termini secundæ intentionis: vt in ista: homo est species: ly, species appellat supra illum terminum, homo.

Pro appellatione sunt aliquæ regulæ prænotandæ: prima: si ex parte prædicati sit nomen denominatiuum: pro subiecto autem sit nomen substantiuum simul cum adiectiuo: prædicatum appellat supra substantiuum; & nõ supra adiectiuum: vt cum dicimus: Petrus magnus est Logicus: non significamus Petrum esse magnum in Logica: sed in corpore.

Secunda regula: si ex parte prædicati duo nomina connotatiua ponantur: & ex parte subiecti vnum substantiuum tantum: tunc vnum connotatiuum appellat supra alterum connotatiuum: vt Socrates est magnus Philosophus: significamus illum esse in philosophia peritum.

Tertia regula: nomina numeralia: si substantiuis addantur: appellant formaliter supra formale: vt tres homines: id est, tres humanitates: si vero addantur adiectiuis: appellant materialiter: & tantum multiplicat subiecta: vt tria alba: id est, tria subiecta habentia albedinem.

Quarta regula: si prædicatum sit nomen secundæ intentionis: & subiectum sit nomen primæ: prædicatum appellat supra commune, & primarium significatum primæ: vt homo est species: ly, species immediate appellat supra naturam humanam in communi. Alia regula: de vidi Papam; Papam vidi: posita à Magistro Soto, & Vera-Cruce, à nobis inuicem indicatur: quia in his consulendus est modus concipiendi.

Modus arguendi ex appellatione.

Diminutio.

In arguendo: appellatio nunquam variari debet; nec in antecedente; nec in consequente: defectu cuius hæc argumentatio non valet: Petrus est Logicus: & est magnus: ergo est Logicus magnus: quia in minori, ly, magnus, appellat materialiter: & in consequentia formaliter.

Diminutio, quæ appellationis est obliquitas, est appellationis coarctatio; quando terminus ex se potens supponere pro toto, ratione alicuius ad quæ diminuentis, supponit tantum pro parte: vt

si albo potenti supponere pro toto homine ad datur hæc particula diminuens, secundum dices coarctatur: vt tantum pro illa parte supponit.

Unde à termino diminuto ad non diminutum: siue ad eundem absolute sumptum: non valet argumentum: vt est album secundum dentes: ergo est album: est enim fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

Modi arguendi ex diminutione

CAPVT XII.

De diuisione.

Quia tam diuisio, quam diffinitio, quæ partes modi sciendi sunt: vt in primo capite diximus: ad primam intellectus operationem pertinent: ideo de illis in hoc libro agere decreuimus: & primo de diuisione: quia est veluti via ad definitionem: nam prius rem confusam, & complexam diuidimus: quam illam difiniamus: & ad hoc diuidimus: vt sciamus genus ad speciem, per quod ipsam speciem difinire possimus.

Est igitur diuisio oratio totum in suas partes distribuens: vt animal: aliud rationale: aliud irrationale. Pro qua difinitione notandum: quod in qualibet diuisione tria reperiuntur: videlicet, diuisum: membra diuidentia; & signum diuisionis: diuisum est illud commune, quod in minus communia diuiditur: vt, in exemplo posito, animal: membra diuidentia sunt ea, in quæ illud commune diuiditur: vt rationale, & irrationale: signum diuisionis est particula denotans diuisionem: vt ly aliud, seu ly vel: defectu cuius particula, diuisio totius integralis in partes integrales non dicitur proprie diuisio: nam inepte dices: domus, alia paries; alia tectum; alia lapides: & ideo: vt optime noster deuotissimus Tielmanus cap. 15. de diuisione: potius enumeratio, quam diuisio dicenda est.

Diuisio

Nota

Hoc posito: diuisio est quædam secunda intentio, à qua membra diuidentia talia denominantur: & dicitur oratio: nam oratio est genus ad orationem, quæ ad primam, & secundam operationem pertinet: vt lib. 2. cap. 1. dicimus: reliqua particule, loco differentiarum ponuntur.

Diuisio in communi est duplex: vna nominis: & alia rei. Diuisio nominis (quæ potius distinctio, seu enumeratio appellari potest) est oratio distribuens vocem ambigam, & æquiuocam, in suas significationes: vt quando diuiditur canis in canem latrabilem; & sydus cæleste; & piscem marinum: itaque hæc diuisio: vt est secunda intentio: fundatur in illis: prout significata sunt talis vocis.

Diuisio in minus.

Diuisio rei est oratio rem in suas partes distribuens: id est: est secunda intentio fundata in membris diuidentibus realibus: quatenus aliquod totum reale diuidunt: & hæc est triplex: vna est totius vniuersalis in sua inferiora, quæ partes subiectiuæ appellantur: quia de illis, vt de subiectis: diuisum prædicatur: sic diuidimus genus in suas species: vt animal, in hominem, & Leonem.

Diuisio rei triplex.

Alia est totius in partes, ex quibus componitur: siue partes sint essentielles, ex quibus, scilicet, totum esse actualiter constituitur; & sine quibus nec esse

Nota.

Modus arguendi ex ampliatione.

esse, nec intelligi potest: & talis diuisio in huius-  
mo si partes est duplex: alia physica, qua diuidi-  
tur eorum in materiam, & formam: vt homo in  
animam, & corpus: alia metaphysica, qua diuidi-  
tur totum in genus, & differentiam: vt homo in  
animal, & rationale. Siue partes sint integrales,  
quæ non sunt de essentia totius: sed sine illis esse  
potest: & talis diuisio dicitur integralis, seu par-  
titiua, qua diuiditur totum integrale in partes in-  
tegrales: vt homo in manus, pedes, & caput: sic  
dicendõ: hominis alia pars est manus, alia caput  
&c.

Tertia diuisio est per accidens: quia partes, in  
quas fit talis diuisio per accidens se habent ad di-  
uisum: & hæc etiam est triplex: prima est subiecti  
in accidentia: vt hominum alius albus, alius niger.  
Secunda est accidentis in subiecta: vt alborum a-  
liud nix, aliud papyrus. Tertia est accidentis in ac-  
cidentia: vt dulcium, aliud album: aliud flauum.

Conditio-  
nes bonæ di-  
uisionis.

Vt aliqua diuisio sit bona nonnullas conditio-  
nes habere debet: prima: vt sit breuis: & si fieri  
possit: sit bimebris.

Secunda vt membra diuidentia sint opposita:  
vel realiter: vt rationale, & brutum respectu ani-  
malis: vel saltem formaliter: vt bonum honestum,  
vile, & delectabile respectu boni in communi.

Tertia vt quodlibet membrum diuidens seor-  
sum sumptum sit inferius, & minus diuiso.

Quarta, vt omnia membra diuidentia simul sum-  
pta adæquantur diuiso: ita vt nihil amplius conti-  
neat diuisum; quam membra diuidentia: Vnde fit  
vt adiuicem conuertantur cum disunctione: vt  
est animal: ergo rationale, vel irrationale: est ra-  
tionale, vel irrationale: ergo animal.

Alia autem conditio adhibetur: quod scilicet  
diuisum de quo vis membro prædicetur: sed hæc  
tantum conuenit diuisioni superioris in inferiora.

Modus ar-  
guendi in  
diuisione.

Modus arguendi in diuisione est triplex: primus  
est à diuiso ad membra diuidentia: qui dupliciter  
adhuc contingere potest: primo, ex negatione di-  
uisi bene inferitur negatio omnium membrorum  
diuidentium: vt non est animal: ergo nec rationale,  
nec irrationale. Secundo ab affirmatione diuisi  
valet ad affirmationem membrorum sub disunctione:  
vt est animal: ergo vel rationale, vel irrationale:  
non tamen valet ad vnum determinate, vt est ani-  
mal: ergo rationale.

Secundus modus est à membris diuidentibus  
ad diuisum, qui etiam dupliciter potest formari.  
Primo à quo vis membro diuidente affirmatiue  
valet ad diuisum: vt est rationale: ergo animal. Se-  
cundo ab omnibus membris diuidentibus negati-  
ue valet ad diuisum: vt non est rationale, nec ir-  
rationale: ergo non est animal: non tamen valet à  
qualibet seorsum: vt non est rationale: ergo non  
est animal: qui duo modi in tertia, & quarta con-  
ditione fundantur.

Tertius modus est à membris ad membra, qui  
etiam dupliciter potest fieri. Primo ab affirmatio-  
ne diuisi, & vnius membri diuidentis, ad negatio-  
nem aliorum: valet argumentum: vt est animal, &  
rationale: ergo non irrationale. Secundo ab affir-  
matione diuisi, & negatione vnius, vel plurium  
membrorum, ad affirmationem residui: valet: vt

est animal: & non rationale: ergo irrationale: &  
hoc argumentum à sufficiente partium enumera-  
tione dicitur.

CAPVT XIII.

De diffinitione.

**D**IFFINITIO, quæ à Latinis definitio, &  
ab Aristotel. terminus appellatur: quia  
rei diffinitæ naturam quasi finit, & ter-  
minat: sic diffinitur: est oratio rem ali-  
quam declarans. Dicitur oratio: vt excludatur  
vox simplex, quæ nequit esse diffinitio: & etiam  
ad excludendam enunciationem: quidquid dicat  
Quintilianus: nam licet diffinitio sit vocum com-  
plexio: vt sic distinctè declaret, quod confuse la-  
tebat in diffinito: non tamen dicitur enunciatio:  
vt expresse testatur Arist. lib. 1. Perihermenias ca.  
4. & in 2. Post. & 6. Topic. cap. 2. asserens diffinitio-  
nem non significare verum, vel falsum. Vnde dif-  
finitio non est totum illud: homo est animal ratio-  
nale: alioquin diffinitum ingrederetur diffinitio-  
nem: sed tantum est illud complexum: animal ra-  
tionale: ex quo sumitur ratio à priori: cur diffini-  
tio non sit dicenda vera, vel falsa: sed bona, vel  
mala: & idem de diuisione dicitur: non enim diui-  
sio est hoc totum: animal aliud est rationale: aliud  
irrationale: sed solum illæ particule: aliud ratio-  
nale, aliud irrationale.

Diffinitio  
quid.

Diffinitio, secundum doct. in lib. 1. Priorum, q.  
3. est duplex: vna nominis, & alia rei. Diffinitio  
nominis est oratio alicuius vocabuli significatio-  
nem explicans: vt sacerdos est dans sacra: & ad  
hanc reuocatur nominis interpretatio, quæ in  
hoc ab ea distinguitur: quod diffinitio nominis  
per idem idioma termini significationem expli-  
cat: vt in exemplo allato, at interpretatio est ver-  
sio vnius idiomatis in aliud: vt Adam Hebraice,  
Latine est homo: ad hanc etiam reducitur Ety-  
mologia, quæ vocis originem declarat: vt sol: quia  
solus lucet: pater: quia patitur: pasce, & filij pascet:  
& Etymologia solet à nominis significatione di-  
stingui: propter quod dici consuevit, aliud esse,  
à quo nomen imponitur: aliud vero, ad quod sig-  
nificandum imponitur: vt lapis dicitur à lædendo  
pedem, non tamen pedis læsionem significat, sed  
petram: multum tamen ad illam iuuat: & frequen-  
ter ab ea non distinguitur.

Diffinitio  
duplex.  
Diffinitio  
nominis.  
Interpre-  
tatio.

Etymolo-  
gia.

Diffinitio rei est oratio naturam, & quiddita-  
tem rei explicans: & est duplex: alia quidditatiua,  
seu essentialis: alia descriptiua: quidditatiua est,  
quæ explicat rei essentiam per partes intrinsecas,  
& essentielles: & rursus est duplex, secundum Do-  
ctorem vt supra, & in 4. sent. dist. 12. q. 1. littera L.  
alia est quidditatiua pure, & simpliciter: alia quid-  
ditatiua per additamentum: pure quidditatiua est,  
cuius omnes partes pertinent ad quidditatē diffi-  
niti: & etiã duplex: physica: vt homo constat ex ma-  
teria, & forma: & metaphysica, quæ datur per ge-  
nus, & differentiam: vt homo est animal rationale.  
Quidditatiua per additum est, in qua, præter essen-  
tialia, additur aliquod extrinsecum diffinito: qua  
diffinitione diffinitur omne ens relatiuum: & se-  
cundæ intentiones: vt docet Doct. in 4. dist. 1. q. 2.  
Diffi-

Diffinitio  
rei.

Diffinitio  
descriptiua

Diffinitio descriptiua est, quæ explicat es-  
sentiam rei per accidentia propria: vt homo est  
animal risibile: vel per accidentia communia: tot  
tamen, & talia; vt simul sumpta in alio repetiri  
nequeant, vt homo est animal bipes; imple-  
me; & erectum: & ad hanc diffinitionem descrip-  
tiam pertinet diffinitio, quæ datur per causam  
efficientem, finalem, & exemplarem: vt homo  
est animal conditum à Deo: ecce causam effi-  
cientem: & creatum ad sui imaginem: ecce ex-  
emplarem; exemplar enim est forma externa,  
cuius imitatione aliquid fit: tandem est condi-  
tum propter beatitudinem: ecce finis. Reducit-  
ur demique ad hanc descriptiuam diffinitionem  
illa, quæ datur per proprios effectus: vt sol est  
corpus illuminans; & calefaciens.

Diffinitio  
quid.

Diffinitio  
proximū.

Diffinitionis natura explicata, superest; vt  
naturam diffiniti explicemus: diffinitum igitur  
est, quod per diffinitionem explicatur: & est du-  
plex: proximum, & remotum. Proximum: vt col-  
ligitur ex Doct. in primo Priorum, vt supra: est  
terminus, cuius natura per ipsum significata im-  
mediate diffinitur, & illi immediate diffinitio  
conuenit: vt in hac diffinitione: homo est animal  
rationale: vbi natura humana est diffinitum pro-  
ximum, & immediatum.

Diffinitio  
remotum.

adverbe:

Diffinitum remotum est, cui competit diffi-  
nitio mediate: vt Petrus est animal rationale.  
Vnde terminus communis incomplexè sum-  
ptus est diffinitum proximum: singulare vero re-  
motum: & hoc colligitur ex Aristotel. lib. 1. Post.  
cap. 7. dicente: quod per se diffinitum debet esse  
commune, & vniuersale. Vnde fallitur Soto in  
secundo lib. Summularum capit. 4. dum asserit:  
diffinitum proximum esse nomen: remotum ve-  
ro rem significatam per nomen.

Conditio-  
nes diffini-  
ti.

Conditiones diffiniti: vt ex Doct. in quarto  
dist. 1. quæst. 2. constat: sunt; vt sit vnum ens per  
se: quæ enim plura sunt, plures habent essen-

tias: atque aded nequeunt vna diffinitionis diffi-  
niri: debet etiam esse vniuersale: quod solum in-  
mutabile est: & diffinitio est rei immutabilis;  
& debet esse species, quæ ex genere, & diffe-  
rentia componitur: ex quibus vera diffinitio  
constat.

Leges bonæ diffinitionis sunt, quæ sequun-  
tur: prima, quod diffinitio debet constare ex ge-  
nere, & differentia: vel aliquo alio, loco istorum:  
vnde loco generis, & differentie, illorum diffi-  
nitiones, aut rationes essentielles poterunt in dif-  
finitione subrogari: vt loco animalis: viuens sen-  
sibile.

Leges bonæ  
diffinitio-  
nis.

Secunda, quod diffinitio conuertatur cum  
suo diffinito proximo: vt est homo: ergo animal  
rationale, est animal rationale: ergo homo.

Tertia, quod diffinitio sit clarior, & notior  
suo diffinito: quia per illam eius essentia antea  
ignota debet explicari: ad cuius claritatem diffi-  
nitum non debet intrare diffinitionem; aliter enim  
esset idem per idem.

Quarta, quod in diffinitione nihil inuenia-  
tur superfluum, aut diminutum: id est, quod ex  
necessarijs nihil deficiat: & ex impertinentibus  
non abundet: & quod sit breuior, quam fieri  
possit.

Modus arguendi in diffinitione talis est. Pri-  
mo ab affirmatione, vel negatione diffinitionis  
bene valet consequentia ad affirmationem, vel  
negationem diffiniti: & è contra: vt est animal  
rationale: ergo est homo; non est animal rationa-  
le: ergo non est homo.

Modus ar-  
guendi dif-  
finitionis.

Secundo, quidquid dicitur de diffinito: dici-  
tur etiam de diffinitione: & è contra, vt quid-  
quid dicitur de homine essentialiter: dicitur  
etiam de animali rationali. Et hæc de  
hoc primo libro sint satis.

(2.)

